



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tractatus De Moribus, Amore,  
Servitio Æternæ Sapientiæ

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066375**

Cap. VI. Æterna Sapientia ex arbitrio Sapientiæ quærenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45408**

## CAPUT VI.

*Æterna Sapientia ex Arbitrio Sapientia querenda.*

37. **S**apientia querenda est: quoniam prostitutam illam esse non decet; querenda autem est sapienter; alioqui stultè Sapientiam querens, quis reperiat? quodsi sapienter Sapientia querenda est, mentem igitur Sapientiæ prius nôrit oportet & teneat, qui Sapientiam ipsam occupare desiderat. Sed si hoc ita est, si juxta mentem Sapientiæ Sapientia querenda est, prius igitur Sapientia habenda quàm invenienda est. Cæterum in hoc nullum absurdum est; nam & lux sine luce videri non potest, sed ad illam videndam, ipsius opus est visione. Sapientia verò lux est, & color omnium, sui que inprimis ante alia omnia index, oculi Rationalis objectum & bonum. Et nimirum in iis quæ ad alia invenienda nata & instituta sunt, hoc peculiare est, ut sine semetipsis ipsa quoque inveniri & obtineri non possint, ut modo in luce dictum est, & idem de Veritate, deque Deo inveniendi dici potest: Nam querere veritatem hoc ipsum Veritas est, & ad DEUM verè iri sine Deo duce non potest: dum queritur DEUS, cum Deo ipso queritur; Atqui Sapientia Veritas & DEUS est, igitur Sapientiâ sine seipsâ non habetur, & hoc ipsum de Sapientiâ scire, est Sapientia. Quare Sapientia per Sapientiam, hoc est, juxta arbitrium Sapientiæ querenda est. At enim hoc ipsum torquet animum, quid sit, juxta Sapientiæ arbitrium querere Sapientiam?

Ubi

Ubi sciendum occurrit, esse quàm plurimos qui Æternam Sapientiam quærunt, & invenire concupiscunt, sed quia hoc insipienter agunt, votorum suorum finem non assequuntur; Insipienter autem agunt in eo, quia non sic Sapientiam quærunt, prout illa quæri & inveniri vult, ac solet, & statuit, sed prout ipsis libitum est. Fingunt sibi Sapientiam in animo quam volunt, fingunt iter ad Sapientiam quod volunt, fingunt locum & Sedem Sapientiæ ubi volunt, euntque ad illam quâ & quò volunt, sed tamen minimè eò perveniunt quo volunt, quia ad Sapientiam nunquam perveniunt. Hi, si qui tales, sunt, scire debuerant neminem meliùs & sapientius viam ad Sapientiam instituere præscribereque potuisse, quàm ipsam Sapientiam; proinde ab illâ hoc primum discere debuerant, quanam viâ illa ad se homines pervenire statuerit, quod illa facillimè libentissimeque diceret, si quis ab illâ sincero id animo requireret. Sincero inquam, hoc est, ad credendum ad obediendum, statimque arripiendum parato.

Sed quæ hæc tandem est via Sapientiæ ad Sapientiam? Via ad Sapientiam ipsius Sapientiæ est, via Abnegationis, Mortificationis, Humiliationis sui, via Crucis, via Paupertatis, doloris contemptûs, via Abrenuntiationis omnibus rebus, & sibi, via nuditatis ab omni creatura, & eo quod inter hominem Deumque mediare posset, Via denique Stultitiæ & Imitationis JESU Christi Æternæ Sapientiæ. Quisquis Sapientiam vis, hâc ito, & invenies.

18.

19.

CAPUT